

cipio sermonis nostri, quia Epistola ista caritatem commendat : « Deus lux est, inquit, et tenebrae in eo non sunt ullae. » Et quid superius dixerat ? « Ut societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Deo Patre et Filio ejus Jesu Christo. » Porro si Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae, et societatem cum illo habere debemus ; et a nobis pellendae sunt tenebrae, ut fiat in nobis lux ; nam tenebrae cum luce societatem habere non possunt : ideo vide quid sequatur : *Quod si dixerimus quia societatem habemus cum eo, et in tenebris ambulamus, mentimur.* Habes et apostolum Paulum dicentem : « Aut quae societas luci ad tenebras ? » Dicis te societatem habere cum Deo, et in tenebris ambulas ; et « Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae » : quomodo ergo est societas luci et tenebris ?

Jam ergo dicat sibi homo : Quid faciam ? unde ero lux ? In peccatis et in iniquitatibus vivo. Quasi subrepat quaedam desperatio et tristitia. Salus nulla est, nisi in societate Dei. « Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae. » Peccata autem tenebrae sunt, sicut dicit Apostolus diabolum et angelos ejus rectores tenebrarum harum esse. Non diceret rectores tenebrarum, nisi rectores peccatorum, dominatores iniquorum. Quid ergo facimus, fratres mei ? Societas cum Deo habenda est, alia spes vitae aeternae nulla est : « Deus autem lux est, et tenebrae in eo sunt nullae » : iniquitates autem tenebrae sunt ; iniquitatibus premimur, ne societatem cum Deo habere possimus : quae ergo spes ? Nonne promiseram me aliquid locuturum istis diebus quod gaudium faciat ? Quod si non exhibeo, tristitia est ista. « Deus lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae » ; peccata tenebrae sunt : quid erit nobis ?